



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid sit Baptismus. tit. 67

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

hæreses sient &c. Quintò, mäsionem nobiscum pro-  
mittit, Matt. vltim. ideò nos sibi vnit & incorporat,  
Ioan. 6. Qui manducat carnem meam, &c. Roman.  
8. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Sextò, bene-  
dictionem coniugum, Genes. 1. ideò & benedicuntur  
à sacerdote. Septimò, promisit Deus misericordiam,  
quam per vnctionem confert. Summa, varia dona  
gratiarum promissa à Deo propter Christum: fides  
autem per media illa apprehēdit & retinet, sed Deus  
solus est qui iustificat, Roma. 8. Falsò igitur nos gra-  
uant hæretici, quòd salutem tribuimus creaturis, &  
ad ea ligamus, id est, in oleum, aquam, sal, &c. Fides  
quiescit in Dei verbo, per quod Deus operatur gra-  
tiam in illis elementis sacramentorum.

QUID SIT BAPTISMVS.

TITVLVS LXVII.



RIA notantur. Primò, quid sit Bapti-  
smus: Secundò, cur institutus: Tertio,  
qui sint eius fructus & vtilitates.

Primò, baptismus est lauacrum & opus  
regenerationis, ad Tit. 3. in quo credens per meritum  
sanguinis Christi lauatur ab omni peccato originali  
& actuali. Prima natiuitas hominis fit in peccato.  
Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,  
id est, de immundo semine, & talem peperit me ma-  
ter mea. Altera verò natiuitas tollit peccata, & lauat  
per fidē in Christū, sine qua nemo potest saluari. Ioh.  
3. oportet nasci denuò. Vt enim alienum peccatū sa-  
ciet nos nasci peccatores, Rō. 5. sic aliena iustitia, san-  
guis Christi hic in secunda natiuitate, i. in baptismo  
distribuitur. Qui ergò crediderit, & baptizatus fue-  
rit, iuxta præceptum Christi, Marc. vltim. saluus erit.  
ideò baptismus est regeneratio. Secundò institutus  
est, vt homo se dedat & fidem promittat nouo do-  
mino.



mino, id est, Christo: & abrenunciet penitus priori domino, id est, sathanæ, sub quo natus est, & omnibus pompis illius, i. peccatis, auaritiæ, luxuriæ, perfidiæ &c. Ideo tu voues & dicis: Abrenuncio diabolo &c. Et voueo me credere in Dominum Iesum Christum, & tunc Deus te acceperat in filium, & sic per aquam Deus te lauat, id est, remittit omnia peccata, & expellit sathanam. Subindè donat te Deus, tanquam nouum filium suum, speciali dono, non auri & argenti, sed spiritu suo sancto, qui tibi assistat in omni impugnatione prioris domini sathanæ, Rom. 8. & te regenerat, id est, nouos motus in te creat, ad Tit. 3. Galat. 5. fructus spiritus sunt dilectio, timor, castitas, &c. Nam animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, i. Cor. 2. Baptismo igitur vouemus nos mori, & suffocare peccata, Rom. 6.

Tertio, fructus baptismi est remissio peccatorum certa, si non ad fuerit impedimentum, vt sunt infidelitas & impenitentia: in talibus nihil operatur baptismus, etiamsi centies quis baptizaretur. Act. 2. baptizetur quisq; ad remissionem peccatorum. Marc. vlt. qui crediderit &c. Et Marc. 1. Pœnitentini, & credite Euangelio. Subindè Deus etiam tecum paciscitur, quia vult esse Dominus tuus, tibi dare omnia necessaria corporalia & spiritualia. Recipere post lapsum per penitentiam iterum, & quoties opus fuerit, Mat. 18. & sic eius pactum manet firmum, etiamsi homo perdidit aut violauerit suum pactum & votum, quod velit abdicare sathanæ, & obedire Spiritui sancto. Nam misericordia eius manet in seculum seculi, Luc. 1.

Hoc ergo votum & hæc pactio, durat per totam vitam hominis, vsq; ad sepulturam, id est, recusare, mortificare peccata & pompam sathanæ, & obedire Spiritui sancto. Igitur Baptismus licet vnus sit horæ, significantia tamen eius per totam vitam durat: semper pœnitere & cessare à peccatis oportet: alioqui

o o virtus



virtus baptismi non retinetur &c. Videas ergo quomodo baptismo satisfacias, promisisti enim mortificationem carnis, &c.

*AQUA BAPTISMI CONSECRATA AN SIT EFFICACIOR NON CONSECRATA.*

TITVLVS LXVIII.



PRIMò notandum, quòd Christus promisit discipulis suis, quòd nomini suo vellet dare hanc potestatem, vt quocumque illud inuocarent super creaturam aliquam, vellet assistere & operari in creatura, virtute nominis id quod pererent, sicut Mar. 16. dicit se velle in suo nomine tollere venenum eorum, vt nihil noceat: sic tollere infirmitates per manus impositionem, sic serpentes de loco fugare, & expellere demonia. Creatura ergo non mutatur à naturali conditione per consecrationem. Est enim eadem creatura post consecrationem sicut antea, sed nouum effectum & virtutem operatur diuina virtus per creaturam illà post consecrationem, quam antea nò habuit. Per orationem igitur & benedictionem oratur Deus, vt hùc effectum vellet operari per hanc creaturam, sicut sonant preces & benedictiones.

Secundò, sic virga Moysis vertitur in colubrum in suu Dei, & iterum vertitur in virgam & baculum, Exod. 4. Sic virga Aaron, Num. 17. Dat petra aquam percuta virga Moysis, Numer. 20. Aqua zelotypia: quae dabatur mulieri, Nume 5. serpens aeneus visus, Numer. 21. simbria vestimenti Christi, Matt. 9. Hæc omnia & alia multa Deus operatur, non ipsa natura rei in rebus, sicut sepè cõprobatum est. At consecratio & sanctificatio per verbum fidei & orationem, fidem lætæ certior em, quòd Deus hæc operaturus sit, & fides in verbo promissionis quiescit, quo Deus promittit per virtutem nominis sui hæc se operaturum.

Tertio,